



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXX. De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Ordinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

In his morte repentinâ prævientis, absque confessione, & sensibus destitutis inventis, saltem sub conditione: *Si capax es*: & similibus; siquidem reverâ omnes isti sunt infirmi, & vitæ periculo laborant. Ita pluribus citatis *Leand. tom. 1. tr. 4. d. 3. à q. 9.*

### SECTIO XXX.

#### De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Ordinis.

658.



Suppono primò, Ordinem, sive Ordinationem esse verum Sacramentum à Christo Domino institutum, ut est definitum in cap. *Ad abolendam de Heret.* in Concil. Romano sub Sylvest. cap. 3. & can. 1. Florent. Chartag. 4. Laodicen. Chalcedon. & Trid. sess. 23. can. 2. & 3. *Si quis dixerit*, inquit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, Anathema sit. Et ex iisdem constat, hujusmodi ordines esse ad minus septem, nempe quatuor minores, & non sacros, *Ostiariatum scilicet, Exorcistatum, Lecturatum, & Acholytatum*: & tres majores, & sacros, nempe *Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum*. Utrum autem omnes sint veri Ecclesiæ Ordines, & Sacramenta? Negant aliqui: affirmant verò alii. De hoc tamen alibi: sicut etiam: An Episcopatus sit verus Ordo, & Sacramentum, & à Sacerdotio undequaque distinctum? Hoc enim plures negant: plures verò affirmant, ut videre est apud *Leand. tom. 2. tract. 6. d. 1. q. 10.*

659.

Suppono secundò, Subdiaconum, & Diaconum solemniter in mortali ministrantes, licet sic frequenter tales functiones exercent, solum venialiter peccare, ut docent *Sor. P. Vasq. d. 136. cap. 4. P. Valent. tom. 4. d. 9. q. 1. punct. 4. P. Egid. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 38. Dian. 3. p. tract. 4. resol. 195.* licet peccare mortaliter, si frequenter in mortali ministrent, doceant, *Sylvest. Angel. Arnil. P. Filliu. tom. 1. tr. 1. n. 87. P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 16. sect. 3. & alii.* Et hoc idem affirmant de Episcopo consecrante in mortali Christina, aut Oleum infirmorum benedicente, *Ledesm. Medin. Gabr. Sylvius. P. Henriq. lib. 10. cap. 13. n. 5. P. Lugo d. 8. de Sacram. sect. 9. n. 156.* Melius tamen dicunt, solum venialiter peccare *P. Egid. P. Soar. d. 10. sect. 3. P. Granad. P. Vasq. P. Tanner. P. Præposit. P. Mærat. & cum illis Dian. 3. p. tr. 6. resol. 67. & 5. p. tr. 13. resol. 7.*

660.

Suppono tertio, materiam proximam Episcopatus esse solam impositionem manuum trium Episcoporum: solumque de jure Ecclesiastico requiri, quod sint tres, ut ex Concil. Nicæn. 1. cap. 4. Chartag. 2. can. 12. & Tolet. 4. cap. 19. docent Doctores *P. Henriq. P. Sanch. tom. 2. Confil. lib. 7. cap. 1. dub. 15. n. 16. & alii.* Quamvis id esse de jure divino affirmant. *Gloss. in cap. Nec Episcopi. de Temp. Ordin. Baron. Philibert. Caiet. 3. p. q. 67. art. 6. Sor. Ochagavia, & alii.*

661.

Suppono quarto, materiam proximam Præbyteratus in Ecclesiâ Latinâ totalem, & adæquatam, esse traditionem calicis cum vino, patenæ cum hostia & impositionem manuum Episcopi super caput ordinandi, ut docent ex Concil. Florent. Chartag. & Trid. sess. 14. cap. 3. *Scor. P. Vasq. d. 239. cap. 3. P. Bellarm. lib. 1. de Ordin. cap. 9. P. Laym. tr. 9. cap. 5. n. 2. P. Granad. P. Filliu. P. Soar. tom. 5. in 3. p. d. 42. sect. 4. P. Pal. tomo 4. tr. 27. punct. 4. n. 7. & alii.* Aut solam traditionem Patenæ cum pane, & Calicis cum vino, ut tenent *Richard. Capreol. Major. Sor.*

*Sylvest. Vival. P. Valent. tom. 4. d. 9. q. 1. pun. 5. Bonac. d. 8. q. unica, punct. 4. num. 2. & alii.* Aut solam manuum impositionem, ut affirmat *D. Bonav. in 4. dist. 24. p. 2. art. 1. q. 4.*

Suppono quinto, idque cum probabiliori sententia, traditionem utriusque speciei, nempe patenæ cum hostiâ, & calicis cum vino esse de substantia Ordinationis Sacerdotalis in Ecclesia Latina. Ita ex Concil. Florent. in *Instruction. Armenor.* docent *P. Granad. tom. 1. de Ordin. d. 3. n. 12. Richard. Durand. Sor. Sylvest. Ledesm. P. Valent. P. Turrian. P. Hurt. tr. de ordin. diff. 11. Dian. 4. p. tr. 4. Resol. 119. Leand. tom. 2. tr. 6. d. 3. q. 8.* Quamvis oppositum teneant *P. Henriq. lib. 10. cap. 6. Bonac. P. Filliu. Tabien. Arnil. P. Sant. Dian. 3. p. tr. 4. res. 186. Supplem. & alii.* Similiter, probabilis esse, requiri necessariò necessitate Sacramenti, quod ordinandus tangat physicè rem, sive materiam, cujus traditione confertur Ordo, & imprimatur character. Ita *D. Thom. Palud. Sor. Sylvest. P. Valent. cit. P. Sanch. lib. 7. Confil. cap. 1. dub. 2. P. Pal. cit. punct. 4. n. 22. Leand. cit. q. 22. & plures alii apud ipsum.* Quamvis oppositum doceant *Albert. Caiet. Arnil. P. Vasq. d. 246. n. 19. P. Henriq. lib. 10. cap. 10. num. 1. P. Laym. lib. 5. tr. 9. cap. 5. n. 4. P. Hurt. diff. 15. Dian. 2. p. tract. 2. Resol. 3. & 3. p. tract. 4. Resol. 185. & alii.* His suppositis.

Difficultas 1. sit: Utrum ordinatus cerè sciens, se moraliter tantum tetigisse materiam Ordinis suscepti: aut dubitans, an illam physicè tetigerit, sit iterum ordinandus? Advertes primò, esse peccatum grave, si tactus alicujus materiæ omittatur; siquidem est contra praxim Ecclesiæ in re gravi, contra illius præceptum, & adest periculum invalidæ Ordinationis. A quo tamen peccato aliqui liberant eum, qui mediâtè materiam tangeret, ut si Calicem continentem patenam tangat, quatenus dicunt, tangere immediatè patenam, & hostiam non esse de necessitate Sacramenti, ut docent *P. Valent. P. Vasq. P. Hurt. P. Granad. Dian. p. 10. tract. 13. Resol. 50. & 88. & cum illis Leand. tom. 2. tract. 6. q. 25.* Neque esse de necessitate præcepti, ut tenent *Sylvest. verb. Ordo 2. q. 5. dist. 4. Angel. verb. Ordo 1. n. 10.* Melius tamen dicendum esse saltem de necessitate præcepti, ut tenent *P. Vasq. P. Egid. P. Hurt. Dian. & Leand. cit.* saltem quoad tactum immediatum Calicis, & patenæ; sicque libera omisso talis contactus esset peccatum grave, ut cum *P. Egid. d. 20. dub. 7. conclus. 6. docet P. Pal. tr. 27. d. unica, punct. 4. n. 20.*

Advertes secundò, opus non esse tangere Hostiam immediatè. Primò, quia hujusmodi contactus hostiæ in Rituali Romano non præscribitur. Secundò, quia vinum in Calice contentum immediatè non attingitur; & tamen ejus contactus æquè, ac contactus hostiæ deberet esse necessarius; ergo &c. Ita *P. Vasq. P. Egid. cit. P. Valent. d. 9. q. 1. punct. 5. ad finem. Bonac. d. 8. q. unica, punct. 3. n. 11. P. Pal. cit. Leand. cit. q. 26.*

Advertes tertio, non requiri materiæ contactum simul eodem puncto, quo verba ab Episcopo proferuntur, sed satis esse, quod moraliter conjungantur. Ita *P. Sa. verb. Ordo, Bonac. cit. n. 22. P. Henriq. lib. 10. cap. 10. n. 1. P. Laym. tr. 9. cap. 5. num. 3. P. Pal. cit. n. 20. Leand. cit. q. 23. Philib. tract. 1. p. cap. 16. n. 16.* addens contra *Caiet.* Hinc fit, inquit, non esse omnino improbandam illorum Episcoporum consuetudinem, quidquid eos acriter Caietanus reprehendat, qui multos eodem Ordine initiaturi, ne nimium Ordinatio differatur, verba formæ in numero plurali: *Accipite potestatem, &c.* simul pro-

profertur, aliquibus solam materiam contingentibus, deinde cæteris successivè, licet notabile temporis spatium, puta etiam quarti horæ dimidium, inter istorum contactum, & verborum prolationem elabatur; moraliter tamen censetur esse simul, dummodò continuatione quadam talis contactus peragatur. Et ita hanc Ordinationem esse validam, declaratum fuit Romæ in quadam Congregatione, teste Martino Tornario in addit. ad Toler. sum. de Sacram. Ordinis cap. 2. num. 5. sic Philibert. cit. His positus.

666. Dico 1. Si dubium illud sit circa Ordinem Præbyteratus, aut Episcopatus, tenebitur homo abstinere ab actionibus illis Ordines requirentibus, aut Ordines illos iterum sumere sub conditione. Ita communis sententia, & tenent P. Barð discipr. 6. cap. 11. punct. 6. § 2. n. 6. Armil. verb. Ordo n. 8. Tabien. Ordo 2. q. 4. Angel. Ordo 1. n. 15. D. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 5. Sylvest. Ordo 2. q. 10. Rosel. Ordo 2. n. 7. P. Sanch. lib. 7. Confil. cap. 1. dub. 13. n. 1. & alii. Probat, quia licet sit probabile non requiri contactum physicum, & sufficere morale; si tamen à parte rei non sufficit moralis, sed requiritur physicus, Petrus v. g. non manet Sacerdos, aut Episcopus, nisi tantum secundum opinionem probabilem; atqui ad Sacramentum Confessionis, & alia Sacramenta conficienda, non sufficit esse Sacerdotem, aut Episcopum secundum opinionem probabilem, sed debet esse verè Sacerdos, aut Episcopus; alioqui invalidè absolvet, consecrabit, & Sacramenta ministrabit, quod cederet in maximum damnum Republicæ Christianæ; ergo, ut hoc vitetur, debet Petrus iterum sub conditione sumere Sacerdotium, aut Episcopatum.

667. Dico 2. Si dubium illud sit circa alios Ordines præter Sacerdotium, aut Episcopatum, potest homo tutè Conscientiam sive dubium deponere, & ordines non repetere. Probat, quia tunc, neque seipsum, neque alios exponit periculo, aut damno inde sequendo; ergo &c.

668. Ex dictis deducitur primò, quod diximus de dubitante circa contactum physicum materiæ hujus Sacramenti, dicendum etiam esse, si dubitet de intentione Episcopi, qui erat hæreticus: aut si dubitet de prolatione formæ: aut si dubitet, an haberet perfectam libertatem, eoque soleat in similibus actibus, & actionibus aliquando dormire.

669. Secundò deducitur, idem dicendum in casu, de quo quidam Episcopus in Lusitania consuluit Doctores nostræ Societatis Jesu; Accidit enim, dum ipse ordines celebravit, ut inveniretur in Calice quidam liquor, de quo dubitatum est, utrum esset aqua, an vinum? Quæsitum fuit, utrum Dominus Episcopus deberet iterum ordinare illos, qui tetigerant Calicem, in quo erat talis liquor, de quo dubium fuit, an esset vinum? Responsum fuit affirmative.

670. Et ratio hujus est, quia duplex datur opinio: Prima afferens sufficere, quod in vase sit tantum vinum, etiamsi non sit hostia: aut quod sit sola hostia, etiamsi non sit vinum, ut docent P. Henric. lib. 10. cap. 6. n. 1. P. Fillii. tom. 1. tr. 9. cap. 2. n. 42. Homobon. in exam. Eccles. p. 1. tract. 4. cap. 9. q. 75. Bonac. d. 8. de Sacram. q. unica, punct. 3. n. 3. Dian. 3. p. tract. 4. Resol. 186. Tabien. verb. Ordo 2. num. 7. Armil. n. 5. Angel. Dialog. 8. de Euchar. §. 352. Pesant. in addit. in 3. p. q. 40. d. 1. & alii. Secunda verò afferens requiri simul & vinum in Calice, & hostiam in patena, ut tenent ex Concil. Florent. in Instrucl. Armenor. P. Granad. tr. 1. de Ordin. d. 3. art. 12. & 13. Richard. dist. 24. art. 4. q. 3. Durand. Sor. Sylvest.

P. Valent. tom. 4. d. 9. q. 1. punct. 5. P. Turrian. Ledesm. Philibert. Villalob. tract. 11. diff. 4. n. 1. Dian. 4. p. tr. 4. Resol. 119. P. Hur. tract. de Ordin. diff. 11. Leand. tom. 2. tract. 6. d. 3. q. 8. & alii; sed potest contingere, quod prima opinio sit falsa; consequenterque possint gravissima damna Republicæ Christianæ evenire, si homines illi iterum ordines non assumerent, saltem sub conditione; ergo debuerunt iterum initiari, ut fuerunt de facto initiati.

671. Tertiò deducitur, si id, quod omittitur, sit, aut est dubium, quod sit de substantia Ordinis, ut si omittatur pars formæ, &c. totum Sacramentum esse iterandum; siquidem, aut certò, aut sub dubio est nullum; & non dicitur iterari, quod scitur, aut dubitatur, non esse factum, ex cap. Solemnitates de Consecrat. dist. 1. Hoc tamen intelligendum, quando Sacramentum non habet duas partes essentielles distinctas, quarum una non pendet ab alia, ut sunt in Sacerdotio manus impositio, & traditio calicis, ac patenæ; tunc enim licet utraque pars sit essentialis, si omittatur manus impositio, hæc tantum est supplenda, & altera non est iteranda. Si verò id, quod omisum est, sit certum non esse de essentiali, tunc non est iterandum Sacramentum, sed debet suppleri, quod omisum est ex cap. Præbyter. de Sacram. non iteran. & ibi: Innocent. & Panorm. Sor. in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. vers. Hinc sit. Armil. Tabien. Sylvest. & alii.

672. Quartò deducitur, non debere initiatum ministrare in ordine suscepto, antequam suppleatur id, quod omisum est, ut docent Doctores cit. alioqui peccabit mortaliter, saltem si res omisita sit præcipua, qualis est manus impositio: licet non ita peccet, si sit quid minimum. Si verò in ordine suscepto ministret, antequam suppleatur omisum, licet peccet, non tamen erit irregularis; siquidem solam manet irregularis ministrans in ordine non suscepto; hic autem verè habet Ordinem, ut supponimus. Ita Sylvest. Armil. Angel. Tabiena, verb. Irregularitas. Sor. supra cit. Debeat tamen, quæ supplenda sunt, ab eodem suppleri, qui ordinavit, si sit possibile; siquidem spectant ad perfectionem ejusdem Sacramenti, quod ministravit: si verò id fieri non possit, debent ab alio suppleri: non tamen quovis tempore, sed illo tantum, quo possunt Ordines celebrari ex cap. Præbyter. cit. & ibi: Gloss. Panorm. Innocent. n. 1. Armil. Tabien. D. Antonin. Angel. Ordo 1. n. 14. P. Henric. lib. 10. de Ordin. cap. 10. n. 2.

673. Quintò deducitur, si suppleatur aliquis actus, debere iterari orationes tali actui annexas; ita ut si sit facta inunctio, & non dicta oratio, aut è contra, sit utrumque iterandum; quia non sunt actus divisi, cum in oratione fiat mentio de utroque, & habeant se sicut materia, & forma. Si verò altera manus inuncta est, & dicta oratio, non debet iterari, sed debet inungi alia manus cum oratione, non in plurali, manus, sed in singulari manum dicens. Ita Panorm. cit. n. 2. Innocent. num. 3. Tabien. Ordo 2. q. 5. Sylvest. Ordo 2. q. 10. Rosel. Ordo 2. n. 8. D. Anton. ubi supra.

674. Sextò deducitur, non esse iterandum Ordinem superiorem, si ad illum quis promotus sit per saltum, prætermissis Ordine inferiore; licet enim Ordo superior debeat supponere inferiorem necessitate præcepti, ita ut peccet mortaliter, qui per saltum promovetur, non ita debet illum supponere necessitate Sacramenti, sicque valebit Ordo susceptus ex cap. unico de Cler. per salt. promot. ubi non jubetur iterum ordinari, qui per saltum promotus est, sed tantum puniri graviter. Unde Sacerdos, licet alios Ordines

Ordines non susceperit, potest omnium Ordinum functiones exercere validè, quia omnes in Sacerdotio virtute continentur. Ita *Sor. in 4. dist. 24. quest. 1. art. 4. sine P. Sanch. lib. 7. Consl. cap. 1. dub. 14. num. 3.*

675. Hoc, quod diximus de promotio ad Sacerdotium per saltum, prætermisissis aliis Ordinibus inferioribus, dicunt etiam de promotio, & consecratio in Episcopum, prætermisso Sacerdotio, *Joan. Andr. in cap. 1. de Cler. per salt. promot. Jacobat. de Consl. lib. 10. art. 7. Cuchus lib. 2. Institut. Major. tit. 6. n. 20. Covar. lib. 1. var. cap. 10. num. 16.* Dicunt enim ad Episcopatum non requiri necessitate Sacramenti characterem Sacerdotalem, ita ut si non Sacerdos consecratur Episcopus, non teneat consecratio; licet addant, non posse talem Episcopum exercere suam potestatem, neque validè conferre Ordinem Sacerdotii; maximè verò validè conferre Chrisma; & hanc opinionem esse communem dicit *P. Sanch. statim citandus ex Panormit. in cap. 1. de Cler. per salt. promot. & debere eam affirmare omnes, qui dicunt, Episcopatum esse Sacramentum.*

676. Nihilominus oppositum omnino tenendum est, sicque dicendum, consecrationem illam nihil valere; siquidem cum Episcopatus nihil aliud sit, quam Sacerdotium perfectum, & consummatum, ut docent plures apud *Leand. tomo 2. tract. 6. d. 1. q. 10.* licet ipse, etiam pluribus citatis, contrarium teneat, debet necessitate Sacramenti, Sacerdotium supponere. Ita *D. Bonaven. Durand. Ledesm. Sor. Richar. Tabien. Sylvest. Palud. P. Bellarm. lib. unico de Sacram. Ordin. cap. 5. Gloss. in cap. 1. de Cler. per salt. promot., & cap. Ex litteris, de Excess. Prælat. & ibi Panorm. quos citat & sequitur P. Sanch. lib. 7. Consl. cap. 1. dub. 14. n. 8. P. Soar. d. 31. de Censur. sect. 1. num. 53. P. Vasq. tomo 3. in 3. part. d. 240. num. 54. & d. 243. num. 24. Sayr. lib. 7. de Censur. cap. 10. n. 14. P. Pal. tract. 27. d. unica, punct. 14. num. 1. Leand. tomo 2. tract. 6. d. 1. q. 13. & alii.*

677. Hinc est, quod si Sacerdos, quocumque alio Ordine deficiente, consecratur Episcopus, valebit consecratio, & omnes Ordines poterit conferre, dempto illo, quem non habet ex *cap. Gratia, 1. quest. 1. Ita Tabien. Sylvest. & cum illis P. Sanchez cit. num. 9.* addens tamen, non debere exequi officium suum ante susceptionem Ordinis prætermisiss; neque ante secundum *Hofstiens. Sylvest. Tabien. & D. Antonin. habere executionem, etiam quoad Ordines, quos suscepit. Quamvis oppositum quoad utramque partem, nempe quoad exercitium iniiciendum in ordine suscepto, & in prætermisissio teneant P. Vasq. tomo 3. in 3. part. d. 243. cap. 2. n. 23. P. Laym. tract. 9. cap. 9. num. 8. P. Hur. tract. de Ordin. diff. 17. P. Dicastil. tract. 6. d. 1. dub. 16. num. 218. P. Pal. tract. 27. d. unica, punct. 14. num. 1. P. Henric. lib. 10. cap. 20. num. 3. Diana 8. part. tract. 2. resol. 4. P. Præposit. in 3. part. quest. 1. de Ordin. dub. 12. num. 114. Leand. tomo 2. tract. 6. d. 4. quest. 4. Siquidem qui per saltum Sacerdos, & Episcopus est ordinatus, verè est Episcopus, cum verè acceperit characterem Episcopalem; ergo verè, & validè potest conferre omnes Ordines Sacerdotio inferiores, licet non possit eos licitè conferre, in quo sensu intelligo Doctores contrariæ sententiæ.*

## SECTIO XXXI.

## Declaratur magis doctrina præcedentis Sectionis.

**D**IFFICULTAS 2. Utrum dubitans, an inceperit annum vigesimum quintum possit licitè ad Ordinem Sacerdotalem promoveri? Advertes primò, nullam ætatem determinatam esse de necessitate Sacramenti Ordinis, sicque puerum ante usum rationis, imò & in cunis ordinatum, teneri factum, & de Ordinibus minoribus videtur decisum in *cap. unico, de Cler. per salt. promot. De majoribus autem, patet, quia usus rationis solum est de necessitate Sacramenti in illis Sacramentis, quæ requirunt aliquem actum suscipientis; illum autem non requirunt Sacramenta imprimèntia characterem, qualia sunt Baptismus, Chrisma, & Ordo, sicque ante usum rationis data valent. Ita *D. Thom. in 4. dist. 25. a. 1. q. 2. Sor. Palud. Scot. Richard. D. Bonaven. Palac. ibid. & plures alii, quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 7. Consl. cap. 1. dub. 32. num. 2. qui idem affirmat num. 4. de consecratio in Episcopum.**

Advertes secundò, necessitate præcepti requiri determinatam ætatem ad Ordines suscipiendos, sicque primam Tonsuram, & Ordines minores, non posse conferri puero ante septennium, in quo regulariter venit usus rationis. Ita ex *cap. Nullus, de Temp. ordin. in 6. & Trid. sess. 23. cap. 4. de Reform. ubi statuitur, quod ordinandi primà Tonsurâ sciant rudimenta fidei, & legere, & scribere, & cap. 11. quod sciant linguam Latinam, quæ absque usu rationis fieri non possunt, docent *Navar. Barbosa, P. Henric. P. Sa, P. Hur. P. Fallu. P. Sanch. cit. cap. 33. num. 15. P. Pal. tomo 4. tract. 27. punct. 7. num. 6. Additque P. Sanchez cit. num. 16. esse peccatum mortale recipere, & dare etiam primam Tonsuram ante usum rationis ex *cap. Gallus, cit. in quo suspenditur conferens per annum à collatione primæ Tonsuræ, quæ pœna non infligitur nisi ob peccatum grave. Neque esse Episcopi dispensare in ætate ad Ordines requisita, docet cum *Navar. D. Antonin. & aliis P. Sanchez cit. num. 18.****

Advertes tertio, licet olim pro temporum varietate, tum jure antiquo, tum noviori, varia fuerit assignata ætas pro sacris Ordinibus suscipiendis, ut tradit *P. Sanch. lib. 7. Consl. cap. 1. dub. 33. num. 1. ex cap. Cum singulis, dist. 77. cap. Subdiaconus, ead. dist. ex Concil. Carthag. can. Placuit, ex Clem. final. de Ætat. & ibi Gloss. Tandem jure novo Trid. sess. 23. cap. 12. de Reform. præscribi ad Subdiaconatum 22. annum, ad Diaconatum 23. & ad Sacerdotium 25. annum. Ubi etiam *sess. 24. cap. 1. præscribitur ad Episcopatum requiri annum 30. completum: idemque de promotione ad Cardinalatum; licet ex concessione Sixti V. Cardinalis Diaconus possit quis fieri ætatis suæ anno 22. Ad Pontificatum verò nulla est ætas assignata à jure: Non posse autem eligi infantem ante usum rationis docet cum illis *Leand. tomo 2. tract. 6. d. 5. quest. 10. & d. 6. q. 4. Ad Canonicatum in Cathedrali requiritur annus 22. inceptus: in Collegiata 14. ex Trid. sess. 24. cap. 4. & ex decreto Sacræ Congregat. apud *Barbos. de Canonicis, cap. 13. num. 14. sicut etiam ad Beneficia simplicia ex eodem Trid. sess. 23. cap. 6. & docent *P. Henric. P. Azor. & P. Less.*****

Advertes quarto, annos ex Trid. sess. 23. cap. 12. de Reform. requisitos ad Ordines sacros suscipiendos non debere esse completos, sed sufficere inceptos per